



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Collegium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

eadem titulo, & Boer. ibidem, numero quarto, vide Abb. in capitul. cum in cunctis, numero primo, de his que fiunt à pralati. sine consen. Capituli. Et appellatione majoris partis, intelligitur de majori parte totius, non autem de majori parte comparatione aliarum minorum; pura, sunt duodecim Canonici, tres eligunt Titium, & tres eligunt Sempronium, sex eligunt Sejum, nulla istarum potest dici major pars, sed necesse est. ut saltem sint septem. Vide Geminian. *in capitulo. sicuti, notab. tertio, de electio. libro sexto, secus verò in præsentatione juris patronatus: nam sufficit habere majorem partem comparatione minorum, & hoc quando præsentat, ut singuli, Geminian. in capitulo. quorundam, §. circa, versic. si verò, eodem titulo, & libro. & aliquando major & sanior pars, prout in capitulo. cum expedit, eodem titulo, & libro. & sic semper requiratur copulativè major, & sanior, Gem. ibi notab. 4. & Gloss. in vers. Capituli.*

Ad Decimum quartum. Vide capit. eam te, de rescrip. Gomef. in capitulo primo, num. 110. versic. quinto, de constitut. libro sexto, Selva 1. parte, questio, 19. numero 6. 7. & infra.

Ad decimum quintum. Vide gloss. in cap. secundo, in ver. statutum, de verb. sig. lib. 6. & ibi Anchi. num. 3.

Ad decimum sextum. Videtur quod non. Ancharan. in cap. mandatum, numero primo, de præbend. libro sexto.

COLLEGIUM,

Primò, collegium an possit fundari ab Episcopo cum Canonicorum nume-

ro, & dignitatibus? Negativè responderet Rebuff. *pract. benefi. tit. de elect. in collegium.* sed benè potest Ecclesias parochiales facere conventuales, seu collegiata, Abbas, *in capitulo. quoniam, de vita & honestat. clericorum* Bald. *in margar. Inn. in ver. Episcopus.* Et an clerici unius civitatis, vel castri possint facere Collegium? Respondetur quod non, Innocent. *in cap. dilecta filia, numero nono, & decimo, de excessibus pralati.* Abb. *ibi numero primo, & quomodo probetur Ecclesia esse collegiata, vide Abb. in capitulo, nobis, numero octavo, de jure patron.* Oldradum *consilio 28.* Felm. *in c. accedens, de rescrip. vide inferius, in ver. Episcopi §. 17.* ubi Selva fovet affirmativam, & sic ego sentirem; & Innocent. *in cap. postulasti, de jure patronatus, dat optimam practicam ad cognoscendam Ecclesiam collegiatam: vide superius in ver. Beneficium, §. 1. versic. ad dignitates, ver. 5.*

Secundò, Collegium debet habere arcem, & sigillum communia, aliter non potest dici collegium. Decius *in cap. primo, notab. 6, de electio.* Captraquens. *decisio. 142. parte prima, & quæ insignia habere debeat, vide ibi remissivè.* Ita etiam Capitulum *cap. dilecta, de excessibus pralati.* & hoc quando Canonici scribunt aliquas scriptas, an pro authenticatione illarum requirantur sigilla singulorum, an unum tantum? videtur quod unum, Gemin. & Archid. *in cap. si canonici, de off. ord. libro sexto, in initio.*

Tertiò, collegiata non debent uniri cathedrali, sine auctoritate Papæ, quod quoque efficere debet cum causa co-

gnitione, ita sac. Congreg. declarat. 239.

Quartò, an Episcopus de consensu patroni possit facere Ecclesiam patronam collegiatam, vide remissivè, Gem. in c. statutum, ver. nunquid, de elect. lib. 6.

Quintò, an sit de necessitate collegii ut habeat caput? Respondetur primò, quod non caput speciale, sed bene caput generale, ut Episcopus, & Papa. Secundò, quòd potest habere caput eligibile per ipsum singulis annis, prout Beneventi collegiata sancti Spiritus eligit singulis annis Abbatem, Decanum, Primitierium, & alibi, ita Innoc. in c. cum non, de preb. Gem. in c. statutum, de elect. lib. 6. *juxta finem.*

CONFESSORES.

SUMMARIUM.

- 1 A quo approbandi sint Confessores.
- 2 An semel approbati possint iterum examinari.
- 3 Quae interrogationes sint iis faciende in examine.
- 4 An regularis debeat habere licentiam ad hoc specialem à suo superiori.
- 5 Qui possint admitti ad confessiones audiendas.
- 6 An per totam diocesim, etiam Regulares admitti possint.
- 7 An sacerdos, cui diminuta est potestas per Episcopum, possit recurrere ad Superiorem.
- 8 Quid faciet Confessarius quando absolvet penitentem sibi confessum ab aliquibus peccatis, vel censuris, à quibus non habebat facultatem absolvendi.

AD primum. Conc. Trident. sess. 23. cap. 15. de reformatio. statuit, ut nullus Sacerdos possit audire confessionem sæcularium, etiam Sacerdotum sine licentia Ordinarii. Nec obstat Bulla Pii V. 135. fol. 1131. ubi volebat, hoc posse regulares absque licentia Ordinarii. Primò, quia eam ipsemet dum viveret, quoad illam clausulam, revocavit *Bulla sua* 38. fol. 982. Secundò, quia eam Gregor. XIII. in totum revocavit, reducens eam ad terminos juris communis, *Bulla sua* 15. fol. 1208. & sac. Congreg. declarat. 254. ita censuit; *Nullus praterquam Episcopus, potest se intromittere in his qua spectant ad approbandum Sacerdote sacrae confessionis ministros, imò juxta gloss. in Clem. dudum, de sepult. in versic. se presentare, dicit quòd se debent presentare personaliter coram locorum Ordinariis, Navar. capitulo 27. numero 261. sed non est verum, quòd ipsemet dicat ibidem numero 202. notab. 3. per Doctor. sac. Concil. sed si Episcopus nollet sine causa Regularem presentatum admittere, posset adire Metropolitanum, juxta notata per Covar. pract. quest. cap. 10. numero 1. ver. eadem ratione, & si non adesset Metropolitanus, posset adire dominum Papam, seu sac. Congreg. Episcoporum, juxta notata per Decis. Rot. 4. de jure patron. in novis. & Selva. 3. par. quest. 64. num 3. quod dixi de presentatione personali sensibus corporeis, hoc est arbitrium Ordinario, eo vel maxime, quando ei constat de idoneitate, bonitate & sufficientia illius quem vult admittere, & approbare ad sacras confessiones audiendas, prout in simili dicit Abb. in c. cum parati,*